Quoniam decedente et succedente rerum et
temporum mutabilitate, antiquitas oblivionem, oblivio
confusionem, confusio litem parere solet Ego Hugo Premonstrati
abbas et ejusdem Ecclesie capitulum universitati fidelium
notum facimus quod Fernandus de ponte tenebat a nobis
quosdam redditus quos eidem et heredibus suis in perpetuum
habendos concessimus sub annuali censu quinque solidorum bone
monete in medio mensis martii solvendorum; sane si idem
Fernandus vel successores ejus de predicte Ecclesie redditibus
aliquid amplius acquisierint quam eo tempore quo scriptum
hoc factum est tenuisse dinoscitur, secundum augmentationem
redditum census annuales capiet augmentum. quod ut
perpetue stabilitatis robur optineat, id ipsum sigilli
nostri appositione et cyrographi divisione curavimus
confirmare. actum est hoc anno incarnationis dominice
millesimo centesimo octogesimo quinto.